

BIBLIOTHECA
DE LA
PRO SALAMANCA

S Y N O P S I S
DECRETA, ET RESOLUTIONES
SAC. CONGR. IMMUNITATIS

Super Controversiis Jurisdictionibus
complectens,

STUDIO REVERENDISSIMI PATRIS

D. PETRI ANDREÆ RICCII

Pedemontani Abb. Gen. Congr. Ref. S. Bernardi
Ordinis Cistercienfis,

COLLECTA, ET DIGESTA.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

FRANCISCO BARBERINO

S. R. E. CARDINALI

ITERUM DICATA.

EDITIO SECUNDA CORRECTION.



T A U R I N I, MDCCXXIX.

Superiorum Facultate.

Venient Romæ apud Franciscum Giannini.

EMINENTISSIME PRINCEPS.



Uum repetunt quæque principium, EMINENTISSIME PRINCEPS, ut quæ originali fota sinu prodiere felicia, ad eundem recurrentia resoveantur, indeque reprodeant felicia. Hinc unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant: hinc terræ frumenta redduntur, ut multiplici germine ditescant. Prodiit jam primò Liber iste Tuis fulcitus & imperio, & auspiciis, & quamvis millenis prælorum gemitibus comparuerit fœcundus, angusto tamen non annorum, sed mensum, & dierum decursu visus est sui copia sterilescere, communi voto, ut renasceretur, expetitus. Ad te propterea secundò revertitur, eamdem sibi felicitatem pollicitans. Indubium est, quod si ejusdem Author Reverendissimus P. D. Petrus Andreas Riccius, qui illum summo labore, ac studio, Te auspice, Te jubente, collegit, digessit, Tibi sacravit, si adhuc vivens foret, aut redivivus, hunc Tibi redonaret, ceu potius restitueret. Quomodo igitur ego, qui jam Tuæ adscriptus quondam serviuti à prioribus meis annis enutritus excreveram, Authori violentiam, Libro injuriam, mihiq[ue] ingrati animi crimen, alium à Te Mœcenatem excogitando intentare præsumam? Quidquid insuper de Immunitate Ecclesiastica publico fit jure de promptum, ut potè ab initio ad usque nostra tempora Barberinis Apibus mellificatum, Tuum est, Teque integro respicit argumento; Urbanum siquidem VIII. Sacrae Congregationis Immunitatis fuisse institutorem nemo inficiatur: ac exinde haud interruptam Tuæ Stirpis Purpuratorum Progeniem eidem perpetuo favisse studio agnoscunt omnes, ac profitentur. Accipe igitur, EMINENTISSIME PRINCEPS, quod Tuum est; meque hac restitutione potius, quam oblatione suffultum agnosce qualis glorianter dicor.

D. E. T.

*Humillimus, Addicissimus, & Obsequentiss. Servus
Gaspar Malinus.*

A B B A S.

1. **A**bbas non habet facultatem extrahendi Confugitos ab Ecclesia, cum ex dispositione Bullæ Gregorii XIV. hæc facultas solis Episcopis competit privative quoad alios Episcopis inferiores. In una Burgi S. Sepulchri 17. Julii 1668. Lib. 1. decr. Altoviti pag. 244. Item in una Montis Casini 28. Februar. 1673. lib. 1. decr. Altoviti pag. 776.

2. Et sic extractus auctoritate Abbatæ Abbatiæ nullius Dioecesis restituendus est, cum extractio facta sit à non habente auctoritatem. In una nullius Sanctissimæ Trinitatis Meliten. 30. Maii 1674. lib. 2. decret. Altoviti pag. 2769.

3. Abbatæ tamen Montis Casini, annuente Sanctissimo, datur facultas ad decennium extrahendi ab Ecclesiis, & locis immunibus suæ Dioecesis in omnibus casibus exceptis in Bulla Greg., & etiam in omnibus aliis casibus, in quibus Episcopis licita est extractio. In una Montis Casini 6. Junii 1673. lib. 1. decr. Altoviti pag. 809.

4. Abbas non potest absque justa causa expellere à suo Monasterio confugitum. Neapolitana 21. Aug. 1694. lib. 1. decr. Vallemani pag. 140.

5. Abbas Regularis impediens Baroncellum Episcopalem extrahentem cum excessu scandaloso, & manifesto confugitum in sua Ecclesia, & super hoc inquisitus absolvitur tamquam innocens; cum impederit sine violentia, postquam petiit, ut sibi ostenderentur facultates necessariæ ad extractionem, aliàs protestando. Arimin. 30. Martii 1677. lib. 2. decr. Altoviti pag. 1366.

6. Abbatæ aliquando injungitur, ut transmittat acta super Censuris ab ipso fulminatis contrà Syndicos, qui traxerant Clericos Salvaticos ad forum Laicale. In una Montis Casini 22. Decemb. 1694. pag. 163.

7. Item, ut informet, cur non utatur facultate ei commissa pro impendenda

Absolutione. In eadem 17. Decembris 1695. d. lib. pag. 235.

8. Aliquando Abbas jussu Sac. Congregationis procedit super spretu Censurarum contra incolas Terrarum sibi subditarum. Nullius S. Guilelmi 16. Martii 1694. d. lib. pag. 111. Nullius Montis Virginis 9. Febr. d. anni, & lib. pag. 104.

ABBAS S. BENIGNI.

Nullius Dioec. Prov. Taurin. Vide Verbo *Consignatio* n. 8.

ABBAS ORDINARIUS
GUASTALLÆ

Vide Verbo *Contributio causæ belli* n. 44. Verbo *Extractio confugitorum* n. 27. & 28.

ABBATISSA.

Vide Verbo *Nuncius quoad Regula-*
res n. 18.

ABORTUS.

Vide Verbo *Mater* n. 1. Verbo *Infan-*
ticidium per totum.

A B S E N S.

Contra Violatores Immunitatis, & Jurisdictionis Ecclesiasticæ quamvis absentes procedendum est ad Censuras. Cajetana 23. Augusti 1632. lib. 2. decret. Paulucci pag. 136.

An Absenti debitæ sint franchitiae? Vide Verbo *Franchitiam* n. 11. & seq.

A B S O L U T I O.

1. **A**bsolutio à Censuris contractis ex causa violatæ Immunitatis, Libertatis, & Jurisdictionis Ecclesiasticæ est reservata Summo Pontifici, nec ab alio potest concedi sub quocumque praetextu, etiam restitutionis statim factæ Ecclesiæ, & opinio contraria improbarunt. Lycien. 13. Julii 1638. lib. 3. deer. Paul. p. 66. Casertana 24. Jan. 1651. lib. 4. decr. Paul. pag. 134.

2. Et ita est reservata Summo Pontifici, ut vacante Sede Apostolica desit potestas absolvendi. In una Sancti Martini in Calabria 2. Junti 1691. lib. decr. Martelli pag. 374.